

cunque nomine censeatur ad quamcunque partem territorij predictorum locorum. racione siue occasione prescriptarum terrarum ponere & edificare vel facere Idem vero tono. bona fide promittens omnia predicta & singula per se & heredes suos. seruaturum facturum & curaturum. scotauit & per scotacionem tradidit. totam terram & siluam quam ipse nomine suo habuit & possedit in villa que dicitur ballinslef, sita in parrochia ecclesie que dicitur stokby cum omni jure. eidem terre competenti & competituro. prefato decano recipienti nomine lundensis ecclesie permissionem & scotacionem ipsius Nos igitur volentes vt omnia predicta firma & rata permaneant vtrique parcium predictarum. in mutue defensionis subsidium et munimine. ne alterutrum se molestant. Litteras nostro & nostri capituli sigillis concessimus roboratas. Actum lundis in ecclesia beati laurencij ante altare sancti stephanj Anno incarnationis dominice. MCCXLI Idibus octobris. Presentibus & consencientibus. Lundensibus canonicis dominis, Kanuto Archidiacono Eskillo filio Hildradi. Laurencio filio andree quondam archidiaconj. Petro filio Karoli. Magistro blek magistro sacero clementis. Hildigero. Nicolao theuthonico Et Abbatibus. Paulo de omnibus sanctis ordinis cluniacensis Manne. apostolorum petri & pauli de thumathorp Et Johanne. sancte marie de becchiascogh ordinis premonstratensis. Martino. priore sancte crucis de dalby. Laycis. Tocone lundensis prefecto Torstano hac Sacero filio petri Tukone filio swart pincerna nostro & aliis quampluribus clericis & laicis tunc ad synodum conuocatis.

307.

1243 d. 23 Sept.

Anagni.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Bref till Prioren och Bröderne af Predikare-Orden i Wisby, med befallning att de skulle genom sina predikningar understödja Tyska Hospitaliter-bröderna, hvilka stridde mot de otrogne i Liffland och Preussen, och att de, som antogo korset till dessa bröders bistånd, skulle åtnjuta, icke allenast Påfvens beskydd för sina familjer och egendomar, under deras frånvaro, utan ock, om de ett års tid tjenstgjorde, samma friheter, som korsfararne till det heliga landet, äfven som 20 dagars estergift af ålagd penitens tillföll dem, hvilka bevistade dessa predikningar.

K. c. 177.

Innocentius Papa IV. Priori ac Fratribus Ordinis Prædicatorum de Wisbii lingacopensis Diocesis per Gothlandiam.

Qvi iustis causis hominum promouendis promptum fauorem impendimus, tanto libentius vigilanti cura prosequi pia debemus negotia Iesu Christi quanto Deus homini præferendus esse dignoscitur, & omnis sibi deberi reuerentia comprobatur. Igitur cum sicut relatu fidedignorum percepimus

Su Diplom.

38

exultantes, conditor omnium in Liuoniæ ac Prussiæ partibus, dilectorum filiorum Fratrum Hospitalium Sanctæ Mariæ Theutonicorum Hyerosolimitanorum ac aliorum fidelium triumphanti dextera faciente sit multipliciter exaltatus, & spes sit quod ibidem magis ac magis sui nominis gloria protendatur, si plantationi suæ partium earundem fauorem quem in ipso posuimus impendentes opportunum illi per deuotos Ecclesiæ subsidium procuremus, deuotionem Tuam rogamus & hortamur in Domino per Apostolica tibi scripta mandantes, ac in remissionem peccatorum iniungentes, quatenus in Wisbu lingacopensis Diocesis & per Gothlandiam assumpto sanctæ prædicationis officio propter Deum fideles constitutos in illis ad nimiam charitatem, qua Christus nos dilexit & diligit respectum habere, & ei retribuere aliquid pro omnibus quæ tribuit ipse illis pijs exhortationibus, secundum datam tibi a Deo prudentiam, studeas informare diligenter & sollicite, petituri, vt ipsi redempti pretio glorioso, in quos tanquam viros Christianos & Catholicos eadem opprobria exprobrantium Christo debent se viriliter & potenter accingant, tanquam zelum Dei habentes ad ampliandam gloriam Crucifixi, & liberandum proximos de manibus paganorum, profecturi & acturi secundum fratrum consilia Prædicatorum, ita quod & ipsis præmium debeatur æternum, & infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnauerint gloriari. Illos vero de Prouincijs & Diocesibus memoratis, qui Crucis signaculo in Liuoniæ seu Prussiæ subsidium insigniti propter paupertatem seu debilitatem illuc nequeunt personaliter proficisci, a voto crucis absoluant, dummodo de bonis suis iuxta proprias facultates congruam subuentionem exhibeant, per manus eorundem fratrum in idem subsidium conuertendam. Nos enim vt quod pro nomine Redemptoris tam digne deposcitur, affectu facili compleatur, omnes dictarum Prouinciarum & Diocesum in succursum eorundem fidelium suscepto propter hoc crucis signaculo processuros, nec non eorum familiam & bona omnia, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, sub protectione ac defensione sedis Apostolicæ, admittentes illis ac aliis, qui iuxta facultatem & qualitatem suam illuc bellatores idoneos in expensis proprijs duxerint destinandos, nec non qui ad subuentionem dictarum Liuoniæ vel Prussiæ de bonis proprijs congrue ministrarint, vel qui in alienis expensis illuc accesserint, ibidem ad minus ad vnus anni spatium seruituri, iuxta quantitatem subsidij, & deuotionis affectum illam indulgentiam idemque Priuilegium elargimur, quæ transeuntibus & subuenientibus in Terræ sanctæ subsidium conceduntur. Præterea vt præfatum negotium quo pluribus contingit iuari remedijs prosperitatis optatæ suscipiat incrementum, præsentium vobis auctoritate concedimus, quod illis earundem Ciuitatum & Diocesum, qui ad solemnem prædicationem accesserint, XX. dies de iniuncta pænitentia relaxare, ac eorum singulis illuc sumpto propter hoc Crucis caractere processeris, qui

pro incendijs & iniectioe manuum in Clericos vel alias religiosas personas excommunicationis laqueum incurrerunt, absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiæ valeant impertiri. Prouiso vt passis damna & iniurias satisficiant competenter, illis duntaxat exceptis, quorum excessus adeo sunt difficiles & enormes, quod merito sint ad sedem Apostolicam destinandi. Datum Anagninæ IX. Cal. Octobris anno primo.

308.

1243 d. 31 Dec.

Lateran.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s befallning till Predikare-munkarnes Prior PETER i Lund att aflemna till Påfl. Legaten JOHANNES de Placentia den uppburna Heliga Landshjelpen.

B. 8. a. 1.

INNOCENTIUS episcopus seruus seruorum dei. Dilecto filio fratry Petro Priori Domus fratrum Predicatorum Lundensium. Salutem et apostolicam benedictionem. Cum in Régno Danorum auctoritate pie memorie. G. pape. Predecessoris nostrj, de redemptione uotorum cruce signatorum eiusdem Regni pro subsidio terre sancte, receperis sicut pro certo didicimus quandam iam nobis expressam pecunie quantitatem, deuotioni tue presentium Auctoritate mandamus atque precipimus. quatinus pecuniam ipsam dilecto filio Magistro Johanni de placencia Acolito et Capellano nostro quem pro hiis et aliis apostolice sedis et terre sancte negotiis ad partes illas duximus destinandum, non differas assignare. ac in eisdem negotiis pro reuerentia beati Petri et nostra ipsi prudenter assistens, illud sibi per te ac fratres ordinis tui exhibeas consilium, auxilium et fauorem, quod nos tue sinceritatis affectum de qua in domino plene confidimus, propter hoc commendare merito ualeamus nobis quamcito poteris rescripturus, quid et quantum per te ipsi fuerit assignatum. Datum Laterani II kal. Januarii Pontificatus nostrj Anno Primo.

Blybullan hänger i segelgarnssnöre.

309.

1244 d. 2 Jan.

Lateran.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Skyddsbref till Arke-Biskopen i Upsala och hans Lyd-Biskopar för Magister JOHANNES af Placentia.

A. 1. d. 26. *)

INNOCENTIUS episcopus seruus seruorum dej. Venerabilibus fratribus . . Archiepiscopo Vbsalensi et Suffraganeis eius. Salutem & apostolicam bene-

*) Originallet var redan på 1600:talet så utblekt att det ej kunde helt och hållet läsas (jemf. D. b. 1: 289 och v. Cels. Bullar. s. 68. n:o 2); men de infrätningar skriften gjort i Pergamentet uppte ännu, vid hållning emot dagsljuset, hvad här med särskilt stil utmärkes.